1658.

115. 204.

…ondum. Admodum Reverende Vir, et Affinis plurimum honorande.

Rev. T. literas 2 Septembr. ad me scriptas avide recepi et legi. quae de valetudine Soceri mei non satis firma conjiciat, ita prohdolor se habent. Asthmate enim, quo jam a multis annis cruciatur, difficilis reddita est ejus respiratio, et ~~reliquis~~ corporis partibus, ex phlegmate bronchiis pulmonum adhaerente et quotidie excrescente ~~tanta~~ …pp fuo – inducitur lassitudo, ut pedes officio fungi nequeant. Consilium et quid Rev. T. iudicatur de conatibus meis, percepi, Bene monet me non debere desinere ad Cathedram ecclesiasticam aspirare, Deum aliquando ostium mihi fore apertum, si ita visum fuerit, interim nolo taedium mihi oboriri in professione, quam hactenus sustineo, quae ingenium et industriam pariter exercebit, gradumque sternet ad studia graviora.

Quae apud Vos de Sabbato controvertuntur et Dn. Collegam non idem cum R. T. sentire, ut et Ultrajecti quid moliantur, demiror. Egregie R. T. partes sui muneris explet, veritatem intrepide vindicando et discrimen V. et N. Testamenti docendo, quod libertatem, non cessationem ab opere in cultu nostro requirit Sabbatum, Mihi Judaizare videtur, qui praeceptum quartum Decalogi mere morale, circumstantiis observandis, continere statuit quod fit ab iis, qui hodie pro dei cultu injungunt, Non facies ullum opus etc. Mentem R. T. alias mihi notam non sine fructu ex libris citatis repeti et verissimam censeo, quicquid etiam oggeniant adversarii. Promittit R. T. Herbertii disp.: Vellem si ita placeret ut fasciculum ejusmodi ad negotiatorem nostrum Abraham van Friesen, op de breede Straet habitantem Amsterod. mitteret, qui ad me eum per nautam curabit: huic etiam in mandatis dedi ut pretium R. T. quod exegerit per literas ab ipso refunderet. Vale cum familia dilectissima, quam humanissime conjux et Dn. Soceri familia salutamus. R. T.

Observantiss.

… Sept. 1657.

…n.

Fr. Rive.

Admodum Reverendo et clarissimo Viro Dno Johanni Coccejo, th. Doct. et Professori in illustr. Acad. Lugd. Batav. fautori suo et affini plur. colendo.

Leidam.